

undique in se redit. Idem nostra mens faciat: quum secuta sensus suos, per illos se ad externa porrexerit, et illorum et sui potens sit, et (ut ita dicam) devinciat summum bonum. Hoc modo una efficietur vis ac potestas, concors sibi: et ratio illa certa nascetur, non dissidens, nec haesitans in opinionibus comprehensionibusque, nec in sua persuasione. Quae cum se disposuit, et partibus suis consensit, et (ut ita dicam) concinuit, summum bonum tetigit. Nihil enim pravi, nihil lubrici superest: nihil in quo arietet, aut labet. Omnia faciet ex imperio suo, nihilque inopinatum accidet: sed quidquid aget, in bonum exibit, facile et parate, et sine tergiversatione agentis. Nam pigritia et haesitatio pugnam et inconstantiam ostendit. Quare audacter licet profitearis, summum bonum esse animi concordiam. Virtutes enim ibi esse debebunt, ubi consensus atque unitas erit: dissident vitia.

IX. «Sed tu quoque,» inquit, «virtutem non ob aliud colis, quam quia aliquam ex illa speras voluptatem.» Primum, non si voluptatem praestatura virtus est, ideo propter hanc petitur: non enim hanc praestat, sed et hanc: nec huic laborat, sed labor ejus, quamvis aliud petat, hoc quoque assequetur. Sicut in arvo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulae, quamvis delectet oculos, tantum operis insumtum est (aliud fuit serenti propositum, hoc supervenit): sic et voluptas non est merces, nec causa virtutis, sed accessio; nec quia delectat, placet, sed quia placet, delectat. Summum bonum in ipso judicio est, et habitu optimiae mentis: quae cum suum ambitum implevit et finibus se suis cinxit, consummatum est summum bonum, nec quidquam amplius desiderat. Nihil enim extra totum est: non magis quam ultra finem. Itaque erras, quum interrogas, quid sit illud propter quod virtutem petam? Quaeris enim aliquid supra summum. Interrogas, quid petam ex virtute? Ipsam. Nihil enim habet melius; ipsa praetium sui.